





1. Disputatio de Providentia
2. Disput. de vera dei Invocatione.
3. Themat. (1) de verbo dei (2) de deo ipso.
4. De peccato.
5. De justificatione et bonis operibus.
6. De communicatione idiomatum.
7. De claudibus regni coelorum.
8. De precibus capitibus doctrinae evangelicae.
9. Apologia verae doctrinae de definitione evangelii.
10. De persona Christi, de unione personarum in Christo, de unione  
sui communitate: veram praesentiam corporis et  
sanguinis Christi in cena.
11. De peccato originis.
12. De Exorcismo.
13. De summa doctrinae Ecclesasticae.
14. De duabus naturis in Christo.
15. De cena Domini.
16. De visitatione ecclesastica.

Conciones

1. Luc. 12. Unde dicitur non dicitur dicitur dicitur etc.
2. Luc. 29. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.
3. Matt. 4. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.
4. Matt. 11. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.
5. Corinth. 11. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.
6. 1. Cor. 13. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.





DISPUTATIO DE VERA DEI  
 Inuocatione.

PROPOSITA SE-  
 CUNDVM STATVTA FACVLTATIS  
 Theologicae in Academia Ienensi.

A

GEORGIO LVDERO D. ECCLIE  
 sic Vmariensis Pastore & Superintendente

Ad diem III, Iunij



Iena

Ex Officina Typographica Donati Richtzenhani  
 Anno M. D. LXXV.



PROPOSITIONES COMPLECTENTES  
summam doctrinae Ecclesiae DEI de  
vera inuocatione.

I.

Sicuti natura fateri coguntur omnes sani homines,  
conuicti euidentissimis argumentis, esse aliquod  
numen diuinum: Ita non dubium est quin ad implo-  
randam illius opem naturæ quodam instinctu ducan-  
tur, reb. præsertim desperatis & vbi humano destituunt  
auxilio. Quod cū de alijs Ethnicorū scriptorum dictis  
tum de hoc etiam Homeri testimonio Odyss. γ. appa-  
ret, vbi Nestorem inducit de Telemacho dicentem, Ar-  
bitrari sese etiam hunc immortalibus supplicare πάντα  
περὶ θεῶν κατέουσι ἀνθρώποι.

II.

Sed Ecclesiae DEI tamen propria doctrina de ve-  
ra inuocatione, & hæc præcipuus illius secundum fi-  
dem cultus est, & proxima q. soboles, quæ & fidei adeo  
coniuncta est, vt non modo diuelli & separari non que-  
at, sed pro fide etiam sæpe accipiatur, vel fidei effectus  
illi tribuantur, secundum Prophetam Ioëlem: Quicun-  
q; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Rectè ergo  
Zachariæ 12. dicitur: Effundam super domum David  
spiritum gratiæ & precum.

III.

Rex & Propheta Dei sanctus David Psal. 25. pre-  
ces faciens ad Dominum, animam suam leuare se di-  
cit. Non incommodè ergo dicitur oratio esse leuatio  
animæ vel mentis ad Deum voce & corde petentis ali-  
quid ab eo, quam subsequi pro acceptis beneficijs gra-  
tiarum actionem necesse est. Vt duas partes vera inuo-  
catio



catio complectatur: Orationem, sub qua comprehen-  
dimus cæteras q. species δ'έκστiv, προσευχὴν ἢ ἔντευξιν ἢ  
gratiarum actionem, quæ coniuncta enumerantur à D.  
Paulo 1. Tim. 2.

### III.

Non ergò vocis tantum aut linguæ, certa concia-  
pientis & formantis verba, sonus oratio dicitur, Sed  
mentis potius & animi attentio, & cordis ad Deum ele-  
uati & anxie suspirantis ardens affectus. Sunt certè pro  
loci, temporis & conditionis cuiusq; ratione, ore quoq;  
& lingua preces dicendæ. Nam & filius DEI certam  
suis præscribens orandi formulam, voce etiam & ore  
precarî nos docet, iubens precantes DICERE: & in-  
terior sensus ad excitandam intentionem convenien-  
tem, ad quam alioqui sibi ipse non sufficit, sæpè eius-  
modi orationem, quæ voce & verbis conceptis fiat, po-  
stulat: Sæpè etiam intentionis & affectus interioris  
vehementia erumpens linguæ actionem secum rapit,  
hoc est, linguam mouet, excitat, & ad orandū impellit.

### V.

Mentis tamen intentionem & cordis affectum in  
oratione potissimum requirimus, ecq; solo, etiam lin-  
gua silente, si necesse sit, & vsus ita ferat, inuocationem  
rectè fieri posse affirmamus, quod de Mose vox ipsa di-  
uina comprobat Exodi 14. Et August. de orando Deo:  
Nam plerunq; inquit, hoc negotium, plus gemitibus  
quam sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu. Absq;  
hoc vero, hoc est cordis affectu, quicquid tanquam il-  
lius nomine suscipitur, quales ferè sunt preces homi-  
num otiosorum ventri deditorum inter aduersarios, ve-  
ritatis, id omne non precatio sed βαττολογία potius &  
inane murmur ducendum est, quo magis irritatur & ad

A ij

plecten-



plectendum concitatur quam ad misericordiam & be-  
nefaciendum flectitur DEVS.

VI.

Debetur hic cultus non angelis non vita defunctis  
hominibus & sanctis, sed soli Deo. Non tantum igitur  
Ethnicorum furores qui statuas adorant, sed & Ponti-  
ficiorum, qui defunctos diuos, vt vocantur, tanquam  
mediatores adorant, aut colunt, idolatriam damnamus  
& reijcimus, magis etiam cum geminatur impietas, sta-  
tuarum aut imaginum adoratione & cultu.

VII.

Principio enim non tantum mandato nullo nititur  
Angelorum & defunctorum hominum inuocatio, Sed  
verbo Dei potius contraria est. Nihil autem quod præ-  
ter vel contra expressum Dei verbum instituitur, cul-  
tus rationem habere potest, sed pro idolatria potius ha-  
bendum & damnandum est, cum scriptum sit: Non fa-  
cietis singuli quod vobis rectum videtur. Et: Frustra  
colunt me docentes doctrinas præcepta hominum. Et  
si enim Propheta Zacharias alicubi innuere videtur,  
quod in cœlis orent in Ecclesia Angeli, & de sanctis in  
Christo defunctis non impiè creditur, quod in cœlo o-  
rēt, etsi non nescimus adduci etiam contra hanc senten-  
tiam à nonnullis rationes non absurdas: non tamen  
protinus ex eo sequitur, quod inuocandi sint.

VIII.

Altera ratio præcipua est. Inuocatio tribuit inuocato  
hanc dignitatē & gloriam, quod corda scrutetur & in-  
spiciat, quod audiat & cognoscat vota & necessitates  
omnium hominum, eaq; explere & opitulari possit, glo-  
riam scilicet potentia, misericordia & prouidentia, que  
soli Deo competunt. Solus enim Deus scrutator est cor-  
dium,



diūm, solus audit & cognoscit omnium vbiūis locorum  
vota & necessitates, solus est omnipotēs, omnia implēs,  
nullibi non præsens. Est ergo inuocatio diuorum coe-  
litum in Deum contumeliosa, vt quæ gloriam Deo pro-  
priam & debitam creaturis attribuit.

IX.

Præter scripturam autem & rationem dicitur: San-  
ctos Dei etsi ex sua natura res mortalium non norint,  
tamen in vultu Dei ceu in speculo lucidissimo cernere  
omnia, quæ Deus illis reuelare dignetur, atq; ita Do-  
mino reuelante rescire quid in terris agatur & opitula-  
ri. Imo contrarium potius dicitur Es. 63. Abraham nes-  
cit nos & Israel ignorat nos, & 56. cap. dicuntur iusti  
colligi à facie malitiæ, & de Iosia dicitur: translatum  
illum ex hac vita in aliam, ne mala videret, quæ Deus  
illaturus erat populo Israel. Fruuntur ergo in Domino  
mortui Dei conspectu, participant gaudio & lætitiâ sem-  
piterna, res mortalium non norunt, neq; nosse necesse  
est, quod solius est Dei moderantis & gubernantis om-  
nia.

X.

Dicit enim apud Esaiam Deus: Ego sum Dominus,  
& gloriam meam alteri no dabo. Est autem Dei glo-  
ria, quod omnis boni autor & fons est inexhaustus, ei-  
usq; potentiæ cuncta subsint. Cum ergo hanc cum ne-  
mine gloriam communicet, soli sibi inuocationis hono-  
rem & cultum vendicat.

XI.

Tertia ratio & ipsa firmissima est. Inuocatio ex fide  
nascitur, qui cum Deo tantum competat, non erit vlla  
creatura, sed tantum Deus inuocandus.

XII.

Cætera quæ à propugnatoribus huius erroris ob-  
tenduntur, vt prætextus traditionis Apostolicæ, mira-  
culorum

A 3

culorum



culorum à sanctis editorum quibus declararit Spiritus sanctus illos inuocandos & venerandos, exempla Patrum, synodorum autoritas etc. consultò præterimus, vt quorum longam & exquisitam recitationem propositi nostri ratio non patiatur: quædam etiam istorum non digna recitatione existimamus, vt quæ nec speciem veri habeant, & per se ipsa concidant.

XIII.

Dirigenda est autem & ad verum Deum oratio nostra, vt à Turcica, Iudaica & idolatrica seiungatur: discernit enim euidentissimè hic cultus Ecclesiam à cæteris gentibus & sectis. Profitentur & gloriantur aliæ quoque gentes, Turcæ, Iudæi & veritatis reuelatæ hostes, quos vulgò ita appellamus, Papistæ, se inuocare Deum & orare.

XIIII.

Sed differt duab. grauiss. causis & quæstionibus inuocatio vera à falsa, quæstione de essentia & voluntate Dei. Inuocant Turcæ & Iudæi, vt aiunt, Deum, sed errantes cum de essentia tum de voluntate etiam, cum Deum non agnoscant eum esse qui sese verbo reuelato patrefecit, patrem nimirum Domini nostri Iesu Christi cū Spiritu sancto, neque inuocant Deum fide & fiducia filij, nec certi esse possunt de exauditis & receptis precibus suis. Pontificij autem de voluntate Dei errant, nō enim inuocant Deum, in vera in Christum fide, cum sua nitantur Iusticia, vel alios mediatores aut intercessores constituunt, quorum confidunt meritis, filio Dei suum honorem detrahentes. Contrà, Ecclesia Dei verum Deum agnoscit & inuocat, quemadmodum sese verbo expresso & certis testimonijs patefecit, qui est essentia vnus, personis verò trinus, pater vnigeniti filij sui cum Spiritu sancto suo qui à patre & filio procedit: eumque inuocat



inuocat fide & fiducia veri & vnici mediatoris & inter-  
cessoris Domini nostri Iesu Christi, certa & indubitata.

XV.

Causæ quæ ad orandum Deum cum impellere tum  
etiam allicere & inuitare nos debent, vsitate tres recen-  
sentur, quarum prima est, quod de hoc cultu volunta-  
tem suam expressit Deus, & inuocari sese seuerè præce-  
pit. Quid enim Decalogi secundum præceptum, pro-  
hibendo abusum nominis diuini aliud à nobis exigit,  
quàm sanctificationem eiusdem, quæ in inuocatione  
religiosa potissimum consistit? Vt non adiaphoron  
quiddam sit & in arbitrio nostro positum, Sed cultus  
necessarius obligans conscientias, cuius neglectio vel  
contemptus graue peccatum ducendum sit, quo irrite-  
tur ira Dei & pænæ graues accersantur.

XVI.

Altera causa promissiones diuinas continet, qui-  
bus ad orandum inuitamur, eò quod certò statuere de-  
bemus, non fore irritas preces nostras. Suntq; hæ in  
scriptura passim obuiæ Psal. 50. Matth. 7. Luc. 18. Ioan.  
16. Quæ cum non includant aut annexam habeant dig-  
nitatis nostræ conditionem, sed gratuita Dei miseri-  
cordia & vnici Mediatoris nostri obedientia, dignitas  
te & merito nitantur, non modo non patiamur, cogi-  
tationibus de nostra indignitate ab oratione nos ab-  
sterreri, vel consolationem & fiduciam acceptationis  
& efficaciam precum nostrarum nobis eripi, sed com-  
mendemus potius diuitias bonitatis & misericordiae  
diuinæ, ad inuocandum nos indignos & pænas potius  
meritos allicientis, & ad benefaciendum multò prom-  
ptioris, secundum Taulerum, quàm ad accipiendum



mens humana esse possit, qua immensa bonitate sua preces etiam nostras sæpè anteuertit. Es. 63.

XVII.

Tertia causa est, quod cogitare debeamus, nos in hac carnis pollutæ fragilitate & in hoc Mundo ærumoso tanquam valle miseriarum, & inter Dæmonum tyrannidem, astus & insultus constitutos, necesse habere, vt precibus serijs & indefessis Deum interpellemus, ad impetrandum ab ipsius clementia auxilium quo subleuetur & sustentetur infirmitas nostra ne moles calamitatum nos opprimat, & ad consequenda ab eadem præsidia huic vitæ necessaria.

XVIII.

Non ergò nuda tantum precum recitatio oratio est, neq; hoc solo opere cultus Deo præstatur, quales ferè sunt preces quæ statis horis dicuntur aut cantantur à Pontificijs, quos non caritatis affectio incitat, nec vel communis aut priuatæ necessitatis consideratio ad orandū compellit, sed quod ad talem recitationem pretio vel mercede sumi conducti & qui preces consuetudine magis quam attentione aliqua faciunt, qui abusus est potius orationis nefarius. Ideo ad orationem res petenda requiritur, eamq; ob causam ille cultus Deo præstatur, quia hoc modo ad eum tanquam ad fontem & omnis boni autorem confugimus.

XIX.

Est et in hac doctrina valde necessaria consideratio de modo piè & religiose instituendæ orationis. Requiritur ergo primum ad orationem attentio, hoc est, ne alienis & extraneis curis volentes & scientes indulgeamus inter precandum, vel spontè etiam illas attrahamus, quibus attentio impediatur vel distrahatur, sed quantum



quantum fieri potest reſciamus & attentiffimè oremus,  
quemadmodum rectè & piè Cyprianus ait ſermone. 6,  
Quando ſtamus, vigilare & incumbere ad preces toto  
corde debemus, cogitatio omnis ſecularis abſcedat &  
claudatur contra aduerſariū pectus & ſoli Deo pateat.

XX.

Secundò neceſſarius eſt ſenſus propriæ imbecillita-  
tis, miſeriæ & inopiæ. Abſit ergò ab oratione omnis fi-  
ctio, qualis eſt eorum qui deſungendi tantum cauſa o-  
rant petentes ore & lingua tantum à Deo, quorum ta-  
men largitorem ipſum & datorem non agnoſcunt.

XXI.

Tertiò maximè omnium in oratione neceſſaria eſt pœ-  
nitentia, quæ primum comprehendit criminis fortè ad-  
miſſi, vel abſq; huius etiã conſcientiã, propriæ tamen  
indignitatis agnitionem, ne peccatis contra conſcien-  
tiam polluti, neue tumentes & inflati propriæ digni-  
tatis opinione aut fiducia, oraturi in conſpectum Dei  
procedamus, ſed ſeriò dolentes de admiſſis peccatis &  
veniam horum petamus abiecta omni propriæ digni-  
tatis opinione. Deinde requirit fidem, ſola Dei boni-  
tate & miſericordiã, & Chriſti merito intentem & cer-  
tò petita bona expectantem, Sicuti Daniel orat: Tibi  
Domine iuſticia, nobis autem confuſio faciei, &c.

In huius ſolius Domini dignitate & merito, tota  
recumbat ſpes & fiducia noſtra, ſicut ipſe in nomine  
ſuo nos orare iubet, & Matth. II. laborantes & onera-  
tos ad ſe vocat, vt refocillentur & requiem pro anima-  
bus ſuis inueniant, & allicit eosdem, humilem ſe vo-  
cans & manſuetum corde. Ita & Paulus Rom. 3. Chri-  
ſtum propitiatorem noſtrum appellat, à Deo nobis pro-  
poſitum, vt per quem redempti ſumus & propter quem

B

in gra



in gratiam recipiamur. Eph. 4. In Christo & per fidem  
in illum, ait, habere nos audaciam & aditum ad Deum  
cum fiducia. Ebr. 5. vocat Christum Pontificem & pro-  
pitiatorem nostrum & iubet ad illum cum fiducia ac-  
cedere I' Ioan. 2. Aduocatum & propitiatorem pro pec-  
catis nostris, cuius patrocinio fidere debeamus, ut po-  
te patri, cuius sit vnigenitus filius, & cui obediendo  
hostia pro peccatis nostris factus sit, gratum & iustum,  
qui pro iniustis nobis in conspectu Dei apparere pos-  
sit, ne de eius bonitate, clementia & patrocinio quis  
dubitans, putet alijs sibi patronis ad Deum opus esse.  
Quibus omnibus evidentissimè confutatur execrabi-  
lis Papistarum error, quo diuos cœlites patronos vel  
intercessores apud Deum faciunt & inuocant, filio Dei  
suum honorem detrahentes & in illum contumeliosi.

### XXII.

Quod tamen alicubi iustitiæ, puritatis & innocen-  
tiæ suæ mentionem sancti orantes faciunt, & secundum  
eam iudicari vel exaudiri se à Deo petunt, non est pro-  
pria iustitiæ, qua se coram Dei iudicio consistere posse  
existiment, gloriatio, sed causæ & bonæ conscientiae fi-  
ducia, quam hostium iniquitati opponunt, & à qua vin-  
dicari se à Deo tanquam iudice iusto & iniuste oppres-  
sorum protectore petunt.

### XXIII.

Complectimur autem appellatione Fidei certam  
& indubitam de recipiendis à Deo omnipotente &  
misericorde precibus nostris & impetranda liberatio-  
ne fiduciam, sine qua vanæ sunt & irritæ preces. Idcirco  
Sanctus Iacobus ait, postulandum in fide sine hæsitati-  
one. Damnamus igitur Pontificiorum errorem, qui  
sicut fidei, ita & hanc in oratione certam & indubita-  
tam



tam fiduciam siue *πληροφορίαν* reijciunt, & rem absur-  
dam improbè appellant, & dubitationem ducunt atq;  
stabiliunt, quæ tamen & fidei naturam planè euertit,  
inuocationis omnem vsu tollit, mendacij Deum ar-  
guit, Christi mediatoris munus eleuat, conscientijs  
consolationem necessariam adimit & manifestissimis  
scripturæ testimonijs aduersatur.

### XXIII.

Deniq; pænitiæ nomine continetur serium no-  
uæ obedientiæ & bonorum operum studium: Neq;  
enim ad synceram Dei inuocationem aspirabunt vn-  
quam, qui securi ac sine vlllo pietatis desiderio toti for-  
dibus suis indormiunt & peccatis contra conscientiam,  
gratiam Dei ac Spiritus S. operationem proteruè ex-  
cutiunt. Hinc tritum illud in scripturis, Deum scele-  
ratos non exaudire, & preces eorum quemadmodum  
& sacrificia respui diuinitus. Es. 1. & 29. Ierem. 11. Ioa. 9.

### XXV.

Quartò demum ad inuocationem piam & religio-  
sam pertinet voluntatis diuinæ consideratio. Sicuti S.  
Iohannes ait 1. cap. 5. Hanc esse fiduciam nostram, quod  
exaudiamur petentes aliquid secundum voluntatem  
Dei.

### XXVI.

In hac autem consideratione discernendæ sunt res  
petendæ. Hæ verò aut sunt spirituales, quæ absq; om-  
ni conditione sunt petendæ, vt de quibus nominatim  
extet voluntatis diuinæ certitudo. Et hæc est præcipua  
Euangelij promissio, quam etiam omnibus corporali-  
bus commodis amissis vult Deus esse certissimam &  
portum atq; anchoram nostram in omnibus tentatio-  
nibus, cruce & ærumnis huius vitæ & in morte deniq;

B ij

ipfa,



ipsa, cuius etiam amissæ spes non sit abiicienda, sed ad  
eam omni tempore redeundum:

XXVII.

Alterum rerum petendarum genus præsidia sunt  
& adminicula vitæ huius, vel liberationes ex ærumnis.  
Non enim assentimur vanæ religioni dicentium: Non  
esse petenda bona corporalia, fluxa, caduca, à Deo om-  
nipotente, æterno, misericorde, à credentibus ad æter-  
nam vitam conditis & redemptis, quibus id indignum  
esse censent, vt quos vitæ huic & mundo mortuos ad  
cælum suspicere & cælestium tantum rerum deside-  
rio flagrare oporteat, & quibus ad corporis necessita-  
tem pertinentia sponte sua Deus exhibeat, quales re-  
periuntur Chrysofomi & aliorum quædam sententiæ.  
An non enim filius Dei panem quotidianum nos pe-  
tere iubet, quem certè non vult intelligi allegoricum,  
& exempla refutant hanc opinionem.

XXVIII.

Sunt ergo etiam res corporales à Deo petendæ  
propter has causas. I. Vt agnoscamus non casu nobis  
illa accidere vel industria nostra parta, vel labore  
conquisita, sed verè Deum quoque illorum largitorem  
& datorem esse. II. Vt sciamus Deum etsi vult Eccles-  
iam in hac vita cruci subiectam esse, tamen non passu-  
rum vt deleatur, sed protecturum & conseruatum il-  
lam, ideoque subsidijs necessarijs non destitutum. III.  
Vt fides nostra harum rerum petitione exerceatur.

XXIX.

Sed non negamus res spirituales maximè omnium  
petendas, corporales verò non aliter quam pro vitæ  
huius necessitate, sicuti filius Dei panem quotidianum  
nos petere iubet, dici alimentum, vt inquit Chrysof.  
& alibi



& alibi verat de crastino nos esse sollicitos, & secundum  
voluntatem Dei, verè enim Paulus ait, Rom. 8. Nescire nos quid petamus quemadmodum conueniat.

XXX.

Cumq; non nostri tantum sed imprimis Ecclesiæ  
& communis vitæ cura nos affici Deus velit, ideo in  
petitione rerum corporalium prior & potior habenda  
ratio Ecclesiæ & communis vitæ, cuiusmodi etiam pe-  
titiones ferè semper exaudiuntur. Liberat Deus multis  
mirandis modis, dat pacem, vitæ incolumitatem,  
victum, seruat Ecclesiam, politias, familias. Singuli  
verò ad obedientiam in cruce ferenda sese offerre de-  
bent, exemplo Dauidis, leprosi Euangelici & ipsius fi-  
lij Dei. Cogitemus etiam sæpe denegari quæ malè  
& contra salutem petuntur, sicuti rectè & piè Hier. in  
Matt. cap. 17. ait: Ergò quoties non accipimus, non  
præstantis est impossibilitas, sed culpa deprecantium:  
vt hac in parte potius agnoscenda & commendanda sit  
Dei bonitas & misericordia quàm illi obmurmuran-  
dum. Et August. Tract. 73. in Ioan. ait, Deo potius  
miserante nos non accipere quo malè fueramus vsuri.  
Præluceat autem & petitioni harum rerum fides petens  
& accipiens reconciliationem & r. p.

XXXI.

Postremò caueamus, ne certis quibusdam cir-  
cumstantiis, vt temporis & modi, Deum alligemus, cū  
sæpè differtur liberatio aut alioqui voto nostro non re-  
spondent euentus, sed sapientiæ, prouidentia, bonitati  
& potentia illius cuncta permittamus, expectantes in-  
patientia manū illius, quæ suo tēpore nos non destituet.

XXXII.

Ad certam orationis formam etsi Christiani alligati non sunt, sed cuiq; hac in re moderata libertate



permittitur, vt quacumq; velit vtatur: Quia tamen ipse  
Filius Dei formam orationis certam nobis præscripsit,  
æquum est, nos mansuetudinem & bonitatem illius,  
qua ignorantia & imbecillitati nostræ succurrit &  
quod captui nostro deerat supplet, hac in re agnoscere,  
vt sine iniuria filij Dei & grandi scelere ab vsu huius  
precaationis abstinere nemo possit, nec impiè creditur  
quod Cyprianus ait: Quod petitur in nomine Christi  
efficacius impetrari, si petatur ipsius oratione,

### XXXIII.

Locum orationi certum sacrae literæ non desti-  
nant, præsertim quod priuatas cuiusq; preces attinet.  
Paulus ergò in omni loco orare viros tollentes puras  
manus iubet, & Christus Ioan. 4. ait: Veri adoratores  
adorabunt patrem spiritu & veritate, & Aug: Quid  
supplicaturus Deo locum aptum & sanctum requiris?  
Interiora tua munda & omni inde mala cupiditate re-  
pulsâ, præpara tibi in cordis tui habitaculo secretum  
&c. Nam alioqui quemadmodum communes preces  
verbo Dei nobis mandantur, sic & loca certa vel tem-  
pla, ijs destinata esse oportere inficiari nemo sanus pos-  
test. Licentia ergò respuendi conuentus & preces com-  
munes nemini conceditur.

### XXXIII.

Quod autem in cubiculum ingredi oraturos, &  
clauso ostio orare filius Dei iubet, non in eam senten-  
tiam dicitur, quasi veteret & prohibeat conuentus fidelis-  
um & preces communes, sed Pharisaorum preces in  
plateis



plateis & angulis ambitiosè se ostentantium hypocri-  
sin arguit & ab exemplo horum nos abstrahit. Neq̃  
tamen negamus quin liceat interdum secessum quære-  
re, cū id temporis ratio patitur & res sæpè flagitat, quo  
minus perturbetur attentio & ad ardentius orandum  
hoc quasi pacto iuuemur, idq̃ Christum his quoc̃q̃ ver-  
bis innuere velle.

### XXXV.

Conuentus autem fidelium instituit potius fili-  
us Dei, & ad preces communes nos inuitat cum ex-  
emplo suo tum promissione dulcissima Matth. 18. Neq̃  
tamen propterea locis in quibus conuentus Christia-  
norum & preces fiunt aut templis peculiaris aliqua  
sanctitas est affingenda, neq̃ his Deus quasi proprijs  
habitatibus supersticiosè includendus: Non enim lo-  
cus, vt Ambrosius ait, orationem commendat sed de-  
uotus animus. Etsi ergo destinatum erat olim tem-  
plum Iudaicum victimis & precibus offerendis, & alijs  
in locis oraturi ad templum conuertebantur: Tamen  
propter hunc errorem & sanctitatis quam Templo tri-  
buebant supersticiosam opinionem grauiter ab Esa. 66.  
& Stephano Acto. 7. Iudæi repræhenduntur.

### XXXVI

Quo sit tempore orandum cum quæritur, filij  
DEI præceptum cogitetur Lucae 18. Dicit enim oportere  
semper orare & non defatigari, & precum assidua  
itate & instando Deum quasi obtundendum, vt quasi  
defatigatus clamoribus irremissis ad exaudiendum &  
inuandum nos compellatur. Sic & I. Thess. 5. præcio-

B 4

pitur



pitur indefinenter orandum. Quod tamen non ita acci-  
piatur, quasi relictis aut intermissis vitæ officijs tan-  
tum sit orandum, sicuti peruertisse olim quosdam has  
& similes sententias Aug. in lib. de hæresib. refert, qui  
& ob id Euchitæ dicti & hæreseos damnati sunt. Sed  
commendatur perpetuum & ardens precandi studi-  
um, quod etiam inter cæteras curas & vitæ aut vocati-  
onis officia nunquam sit abijciendum, neq; vllus sine  
oratione dies intermittendus, & vt in necessitatibus  
constituti non cessemus ab orationis assiduitate, nec  
deponamus impetrandi fiduciam, donec exaudiamur.

### XXXVII

Non ergo astringunt certis & statis temporibus  
precatuos sacrae literæ, idq; de priuatis potissimum  
precibus accipi volumus, neq; tamen negamus, quin  
ad subleuandam imbecillitatem nostram & excitan-  
dam somnolentiam conueniat, vt sibi quisq; certas ho-  
ras absq; tamen superstitione constituat ad preces faci-  
endas, sicuti pia & religiosa & Christianos decente con-  
suetudine fieri quotidie ab iisdem solet. Preces autem  
communes vt locis, sicut antè dictum est, sic & tempo-  
ribus certis alligatas esse conuenit, modò absit super-  
stitio.

### XXXVIII

Gestuum in oratione peculiarium mentio fit in  
sacris literis & leguntur vsurpatis hisce preces cum à  
filio Dei tum ab alijs etiam factæ & extant de his pa-  
trum quorundam commonefactiones non inutiles neq;  
propha



prophanæ, vt de adoratione quàm προσκύνησιν vocant  
cum humi se precantes abiiciunt & manus complicant  
submissionem animi indicantes, vt in potestatem per-  
missionem, aut cum manus in cœlum tolluntur, gesti-  
ente animo confugere ad diuini numinis opem, à qua  
defendamus & protegatur, & quod Basil. lib de S. S.  
cap. 27. ait: Huius rei gratia omnes respicimus ad O-  
rientem, pauci tamen nouimus, quod veterem patriam  
requirimus ipsum Paradisum, quem plantauit Domi-  
nus in Edem ad Orientem. Et iterum: Necessariò ita-  
q; Ecclesia erudit alumnos suos, vt stantes preces ab-  
soluant, quod per assiduam commonefactionem vitæ  
non desitura, viaticorum ad illam transmigrationem  
parandorum non negligentes simus. De eleuatione  
oculorum Cyrillus: Oraturus Dominus noster sursum  
eleuauit oculos, quoniam intelligentiam humanam  
erexit, adducens illam ad excelsum patrem. &c. Nec  
reprehendendos iudicamus, si qui hac in re filij DEI  
& aliorum exemplum imitentur.

### XXXIX.

Nec tamen censemus huius gratia necessitatem  
cuiquam imponi debere aut posse, vt hoc vel alio modo  
corpore constituto oret. Decentes sanè esse in oratio-  
ne gestus omnino conuenit, & quæ ad diuini numinis  
reuerentiam nos excitent, eamq; præ se ferant, quales-  
cunq; sint, modo animi sint intenti. Sicut Aug. ait: Non  
refert quomodo corpus constituatur ad orandum, mo-  
do animus præsens peragat intentionem suam.

XL

C

Ad




Ad Orationem initio diximus referri & Gratiarum actionem, quæ est beneficij à Deo accepti agnitio & nominis diuini celebratio. Hanc postulat à nobis expressa voce clementiss. Deus Psal. 50. & alibi, & cum ex vera fide præstatur acceptam habet & beneficentia magis atq; magis cumulat. Inuident etiam nos ad persoluendas Deo gratias Sanctorum exempla: & hoc tantum est quod rependi à nobis benignitati diuinæ potest, cui æquum & par est, vt accepta ferantur quæcunq; bona, commoda & salutaria ad nos tanquam à fonte vberè & inexhausto promanant, quem obstruunt & iram Dei irritant & pænas accersunt ingrati, & voce filij DEI grauissimè arguuntur. Lucae 17. Filius DEI Dominus noster Ihesus Christus mentes nostras illuminet, & corda nostra ad ardentem inuocationem & gratiarum actionem accendat atq; excitet, ne dum in hac valle miseriarum constituti sumus, tentationibus quibus assidue à Satana impetimur, aut calamitatibus publicis & priuatis, succumbamus, sed vt à diuina clementia adiuti, superatis Satana, morte & omnibus malis, DEO gratias agamus, eiusq; misericordiam, bonitatem, potentiam, sapientiam, in hac & æterna vita perpetuo celebremus, Amen,

F I N I S.


XI

C











Aug. VI 63

ULB Halle 3  
003 877 892




Sb.











2

DISPUTATIO DE VERA DEI  
Invocatione.

PROPOSITA SE-  
CUNDUM STATUTA FACULTA-  
tis Theologicae in Academia Ienensi.

A

GEORGIO LVDERO D. ECCLE-  
siae Vmariensis Pastore & Superintendente

Ad diem III. Iunij



Iena

Ex Officina Typographica Donati Richtzenhans  
Anno M. D. LXXV.

